



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus XLI. De absolutione reservationis casuum in Confessione oblitorum,
vel in ea invalida expositorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS XLI.

De absolutione reservationis casuum in Confessione oblitorum, vel in ea invalida expositorum.

Simpson habens casum reservatum adit Superiorem pro eius absolutione, qui eum ad Jobum Sacerdotem remittit, ut ab eo absolvatur: Accedit proin Jobum, eique sua peccata confitetur, ab eoque absolvitur; sed post peractam Confessionem, & acceptam absolutionem recordatur cujusdam alterius peccati reservati, cujus in ipso Confessionis actu oblitus fuerat: Unde dubitare incipit, an valida fuerit absolutio tum ratione peccati omissi, tum ex defectu sufficientis doloris, & propositi.

QUÆR. I. An Simpson censeatur etiam absolutus ab eo peccato reservato, quod ob inculpabilem oblivionem omisit in ipsa Confessione, ita ut quando postea occurrit eius memoria, possit illud remitti à quovis alio approbato non habente potestatem in reservata?

QUÆR. II. An Superior possit sola penitentis peccata reservata audire, & ab illis Sacramentaliter absolvere, & penitentem ad inferiorem remittere, absolvendum ab aliis peccatis mortalibus non reservatis?

QUÆR. III. An concessa per Superiorem, vel ejus delegatum absolutione à casibus reservatis in Confessione sibi expositis, tollatur reservatio, tametsi absolutio ex aliquo Confessionis defectu fuerit nulla?

236 **A**nte 1. Q. Resolutionem notandam est cum Dicastillo 11. 8. D. 11. dubit. 8. questionem esse posse vel de absolutione à censura reservata, vel de absolutione à peccato reservato per se sine censura; multum autem interest inter absolutionem utriusque; nam absolutio à censura facta à iudice competente in alterutro, vel utroque foro potest habere vim sine ulla Confessione; potest enim per se tolli sola auctoritate iudicis absolventis,

Kk 3

tis,

tis, etiam invito absolvendo: Absolutio verò à peccato non potest esse directa, nisi supposita aliqua illius Confessione. Undelicet Superior aliquis expressè intenderet absolvere ab illo, quod per oblivionem inculpabiliter omittitur in Confessione, adhuc maneret obligatio illud explicite confitendi, si postea memoriæ occurrat; quia non est directè, & per se in Confessione explicatum. Hoc notato, ac supposito.

237 Ad 1. Q. Respondent non nulli apud Dicastill. l. c. ejusmodi pœnitentem nullatenus manere liberum à reservatione peccati inculpabiliter in Confessione omitti; quia reservatio ad hoc fit, ut peccata reservata exprimantur habenti potestatem in illa, ut de illis judicare, congruam pœnitentiam injungere, & medicinam convenientem adhibere possit, quod fieri nequit, nisi illa distinctè explicentur.

Suarez verò *D. 37. S. 4.* distinguit, & siquidem subditus recurrit ad Superiorem expresso animo, ut à reservatis, si quæ habet, absolvatur, eamque intentionem Superiori suo manifestet, ait, tunc Superiorem velle auferre reservationem etiam respectu illorum, quæ pœnitens inculpabiliter oblitus est: Secus si non eo animo accedat, nec id Superiori significet, sed ad eum recur-

rat tanquam pro Confessione ordinaria, & alia solùm peccata confiteatur non reservata, quia eo casu non est, unde colligatur velle pœnitentem à reservatione liberari, cum nullâ existimet se reservatione adstringi, neque Confessarium eam velle concedere; addit tamen. n. 20. nisi facultas absolvendi è reservatis alicui concessa esset in favorem pœnitentis, quia tunc per concessionem talis facultatis censetur Superior, vel Pontifex abstulisse reservationem, si subditus tali gratia uti velit.

Nihilominus communis DD. 238 sententia apud Lug. *D. 20. S. 7. n. 85.* & Gabr. *in 4. dist. 17. q. 1. a. 3. dub. 2. cum Navar. c. 26. n. 13.* Covar. *in c. Alma, 1. p. §. 11. n. 2.* Sylv. *V. Confessio, 1. q. 4.* Palao *tr. 23. D. un. p. 15. §. 6.* Adrian. Cano, Ledesm. Sa, Nunn. Henriq. Reginal. Tambur. Gobat, Averfa, Filiuc. Rosell. Angel. Viva, aliisque, affirmat, eo in casu sublatam esse reservationem, & consequenter tale peccatum, cum postea illius memoria occurrat, posse remitti à quovis habente potestatem in reliqua mortalia. Ratio autem communis sententiæ probabilis ac favorabilis est; quia Confessarius habens potestatem absolvendi à reservatis, quando profert formam absolutionis, expressè, vel saltem implicite, ac virtualiter vult fa-
cere

cere quantum potest, & pœnitentem legitimè dispositum liberare à peccatis meliori modo, quo potest, ut colligitur etiam ex his verbis, quæ à Confessariis præmitti solent, *in quantum possum, & tu indiges &c.* atqui potest Confessarius tollere reservationem peccati per oblivionem omissi, potestque directè velle auferre vinculum reservationis, etiam quando indirectè solum auferat peccatum, quia peccatum, & reservatio peccati sunt vincula diversa, ut adeò ablatio reservationis non fundetur, ut notat Lug. in sola vi, ac virtute indirectæ absolutionis, quod bene impugnat Vasq. adversarius, sed in potestate Confessarii, qui potest directè auferre reservationem eorum, quæ indirectè absoluit, & ita velle facere probabiliter præsumitur, etiam ex communi DD. sententia ita judicantium.

Conf. quia si pœnitens explicitè diceret, se desiderare solvi ab omni vinculo, quantum fieri potest, Superior jam præsumeretur auferre reservationem, ut fateatur etiam Suarez l. c. ergo etiam quando id explicitè non petit, quia etsi id explicitè non petat, censetur tamen implicitè, & interpretativè petere, hoc ipso, quòd veniat ad Confitendum, ut quantum fieri potest à peccatis omnibus absolvatur, & si ei occurreret peccatum reservatum,

omninò peteret tolli ejus reservationem: Cùm ergo Confessarius cupiat ei esse prospectum, & prodesse quantum potest, censetur etiam hinc & nunc velle eum liberare à peccatis, quantum licitè potest, & consequenter tollere reservationem, præsertim cùm æquè licitè in tali pœnitente tollere possit omnem reservationem, ac in illo, qui hoc explicitè peteret; cur ergo non censetur, ac præsumatur eam in utroque æqualiter velle tollere? Id, quod in peccatis ob censuram reservatis, ut fit in casibus Papalibus, satis manifestum est; cùm teneatur Confessarius ante absolutionem Sacramentalem tollere omnem reservationem peccatorum, quam hinc & nunc licitè tollere potest, hoc ipso, quòd absque gravi necessitate nequeat licitè impendere excommunicato beneficium absolutionis. Sublata autem Excommunicatione tollitur etiam reservatio peccati, cui censura est annexa, utpote quod propter hanc duntaxat fuerat reservatum, ut alibi dictum est de casibus Papalibus.

Nec urget ratio in contrarium allata, nisi supponat id, ut notat Dicastill. quod probandum est, scilicet per eam Confessionem non censeri Superiorem, vel Sacerdotem absolventem liberare hominem à reservationem peccatorum,

rum, nisi hæc exprimantur; nam si pœnitens subditus bona fide confiteatur suo Superiori, eique latebras cordis sui detegat, quantum scit, & potest, jam censetur facere, quantum est ex se, ut Superior adhibeat remedia ejus conscientiaë necessaria, talique manifestatione possit esse contentus ad eum à vinculo liberandum; & licet pœnitens expressè non postulet sibi reservationem tolli; tacitè tamen, & interpretativè petit, quatenus petit à peccatis absolvi quoad fieri possit; Confessarius verò, ut pœnitenti faveat, & consulat, huic voluntati acquiescere censetur ex benigna Doctorum interpretatione, ut notat Coninch *D. 8. dub. 12. Concl. 5.* Et hinc nec Suarezianæ limitationis reliqui DD. meminerunt, nec eidem subscribunt, sed generaliter, & absque distinctione loquantur.

239 Ad 2. Q. An Superior possit Sacramentaliter absolvere pœnitentem à reservatis tantum, & illum ad inferiorem remittere à non reservatis absolvendum? Affirmativam sententiam tenent Navarr. *cap. consideret, §. cautus, n. 12.* Cajetan. *V. Confessio, condit. 10.* Paludan. *dist. 17. q. 5. a. 1.* Emm. *Sà V. Absolutio, n. 24.* Henriq. *l. 6. cap. 15. n. 4.* Uterque Sotus, Gerson, Richard. & alii. Moventur 1. Quia in Ro-

mana Ecclesia viget consuetudo, ut auditis solis reservatis absolutio concedatur, quam consuetudinem improbare, ac damnare non oportet, ut infert Cajetan. *l. c. 2.* Quia quamvis integritas Confessionis sit de jure divino necessaria ad absolutionem, potest tamen ea omitti ex rationabili causa, qualis etiam est ordinaria Prælatorum occupatio & negotia, propter quæ proin omitti poterit, & auditis solis reservatis ab eis concedi absolutio.

Verum sententia hæc communiter ab aliis rejicitur non admittenda, nisi in casu rarissimo, & ex causa gravissima, ut si Prælatus gravissimo negotio occupatus nequiret se ab eo expedire, nec subditi Confessionem per se audire, nec subditus ob necessitatem communicandi commodum tempus expectare posset. Ita Suarez *D. 31. S. 1. Vasq. de pœnit. q. 91. a. 3. dub. 10.* Dicastill. *tr. 8. D. 11. dubit. 13.* Palao *tr. 23. D. un. p. 15. §. 5.* Coninch. *D. 7. dub. 9. à n. 80.* Laym. *l. 5. tr. 6. cap. 12. C. Lugo D. 20. n. 76.* Adrian. Sylvest. Canus, Rodriq. Henriq. Reginald. Bonac. Sayr. aliique complures. Ratio est, quia integritas Confessionis est de jure divino, atque adeò servanda; nisi rationabilis, & gravis causa excuset: atqui, ordina-

ordinariè saltem, nulla talis causa adest, nec adeste potest, ita dimidiandi Confessionem; nam occupatio Superioris tanta esse non præsumitur, quin possit integrè audire pœnitentem, præsertim cum unum ex præcipuis negotiis Prælati sit, Confessiones subditorum audire, & medicinam peccantibus adhibere. Præterea esto quòd ob occupationem aliquam occurrentem non possit audiendæ Confessioni integræ vacare; at potest non Sacramentaliter absolvere, sed remittere, & relinquere confessionem Sacramentalem inferiori Confessario, vel à principio in totum vices suas alteri Sacerdoti committere, de cuius prudentia, & scientia æquè benè confidat, sicque necesse non erit dimidiare Confessionem, & impendere absolutionem suprâ Confessionem non integram. Unde

Ad consuetudinem in contrarium allegatam respondent aliqui, eam esse paucorum contrariam opinionem tenentium. Sed meliùs alii id negant cum Sylvestro, qui fuit Pœnitentiarius in Basilica S. Petri, & testatur oppositum, nec hodie, teste Lug. est talis consuetudinis vestigium.

Nec locus potest esse praxi; quia reservata, ob quæ Romam venit, sunt reservata Papæ rari-
R. P. Leonardelli Soc. Jes.

tionis annexæ censuræ, quâ sublatâ extra forum Confessionis tollitur omnis reservatio, atque adeò frustra dimidiabitur Confessio Sacramentalis, si sufficit absolutio ab Excommunicatione. Unde usus, ac Stylus Romanæ Curia, ut notant cit. DD. est duntaxat circa absolutionem in casibus Papalibus habentibus annexam Excommunicationem Papæ reservatam; Ubi non audiuntur reservata, ut Sacramentaliter absolvantur, sed audiuntur, ut sublatâ censurâ, & salutarî pœnitentia imposita, Confessario ordinario remittantur Sacramentaliter absolvenda.

Ad 3. Q. An concessa per Superiorem, vel ejus delegatum absolutione à casibus sibi in Confessione declaratis, tollatur illorum reservatio, tametsi absolutio invalida fuerit & nulla? Ratio dubitandi est, quia delegatus nequit tollere reservationem, nisi mediante absolutione Sacramentali, qualis non est illa, in qua pœnitens absolvitur indispositus.

Nihilominus Sylv. V. Confessio, 1. q. 19. Cajetan. V. Casus, Suarez D. 31. S. 4. n. 9. Lug. n. 106. Palao l. c. Coninch. D. 8. dub. 12. Concl. 3. Dicastill. ad dub. incid. 3. n. 169. Valq. Henriq. aliique communiter affirmant tolli reservationem, &
Ll pecca-

peccata manere absolvenda à quolibet Sacerdote potestatem habente in peccata mortalia, dummodo non sit defectus potestatis in absolvente. Ratio est, quia per talem Confessionem, & absolutionem jam satisfactum est fini ipsius reservationis; siquidem pœnitens Superiori, vel ejus delegato se præsentavit, ut ab eo convenientem pro peccato reservato pœnitentiam, ac congruam medicinam acciperet, qui finis est reservationis: ergo non est, cur non cesset tunc reservatio. Id, quod Lugo, Dicastillo, & alii affirmant etiam de peccatis oblitis, licet nulla reservatorum facta sit

mentio, saltem si defectus valoris proveniat ex defectu doloris, vel propositi.

Nec urget ratio dubitandi; nam esto ipse delegatus per se reservationem non auferat, Superior tamen ex recepta consuetudine, communi Doctorum autoritate firmata eam tollit, eo ipso, quòd à suo delegato peccatum absolvatur, & pœnitens se stiterit convenientem pro eo medicinam accepturus.

